

bent, quanto maiora bona susceperunt a Deo, quam ceteri saeculares, et quanto magis expediti sunt ad illa perficienda, et quanto quotidiana experientia probant, quod ipse Propheta ait, Psalm. cxxxiii: *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.*

2521 Quartus, et supremus ramus est spes firma, quae maxime designatur in titulo triumphali, qui Ioann. xix positus est, scilicet, *Iesus Nazareus Rex Iudaeorum*. In quo titulo mystice triplex spes designatur, in qua praecellere habent omnes religiosi. Prima est spes veniae; secunda est spes gratiae; tertia est spes gloriae. Prima quidem est spes veniae, quae in *Rex Iudaeorum*, id est, contentium, designatur, unde in persona veri religiosi Propheta ait Psalm. xxxi: *Diri confitebor odorem me institui meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei*. Ecce firma spes veniae. Secunda est spes gratiae, in *Nazareus* indicata, quae floridus interpretatur. In flore est utique spes fructus, unde Eccl. xxiv dicitur in persona crucis: *Flores mei fructus honoris, et honestatis*. Tertia est spes gloriae, quae nomen Iesus aperitius manifestat; interpretatur enim Iesus: salus; unde Matth. ii dicit Angelus ad Ioseph: *Vocabis nomen eius Iesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*.

2522 Ex his patet, quod in modo passionis fuit charitas maxima, quae liberavit ab inferno, dando veniam; qua mundum renovavit, largiendo gratiam; qua coelum aperuit, conferendo gloriam; quae tria, sicut dictum est, mystice apparuerunt in titulo crucis Christi, quae religiosi pro aliis adipisci possunt.

2523 Augustinus quoque in libro de gratia Veteris, ac Novi Testamenti, de hoc ait: Non frustra tale genus mortis elegit, ut altitudinis, latitudinis, longitudinis, et profunditatis, de quibus ad Ephes. iii Apolos ait: *Magister existeret*; nam latitudo est in eo ligno quod transversum desuper figitur. Haec ad bona opera pertinet, quia extenduntur manus. Longitudo in eo, et ab ipso ligno, quod usque ad terram conspiciunt. Ibi enim quodammodo statur, persistitur, et perseveratur, quod longamini tibi tribuitur. Et altitudo est in ea parte ligni quae ab illo quod transversum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est, ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est; iam vero illud quod ligno occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratituae gratiae. Haec ille. Ex quibus verbis patet quod in quatuor moraliter distinguit mysterium crucis. Primum est operatio bona; secundum perseverantia longa; tertium spes firma; quartum est divina gratia.

SABBATO

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. XII, 10-36.

In illo tempore: Cogitaverunt principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent:
11. quia multi propter illum abibant ex Iudaeis, et credebant in Iesum.
12. In crastinum autem, turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam:

13. acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.
14. Et inventus Iesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est:

15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedentis super pallium asinae.

16. Haec non cognoverunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo, et haec fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quae erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis.
18. Propterea et obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum.

19. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

20. Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.

21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Gallilaeae, et rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre.

22. Venit Philippus, et dicit Andreae: Andreas rursus et Philippus dixerunt Iesu.

23. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

24. Amen, amen dico vobis, nisi granum framenti cadens in terram, mortuum fuerit,

25. ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum asert. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propter eam veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de caelo. Et clarificavi, et iterum clarificabo.

29. Turba ergo, quae stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

30. Respondit Iesus, et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos.

31. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiecitur foras.

32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

33. (Hoc autem dicebat, significans quia morte esset mortuusus).

34. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum: et quomodo tu dicis: Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis?

35. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Haec locutus est Iesus: et abiit, et abscondit se ab eis.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN RVANG. IOANN. TRACT. 59. 51.

2524 **C**OGITAVERUNT autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudaeis et credebant in Iesum. O stulta cogitatio et caeca saevitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus: ecce Dominus utrumque fecit, et Lazarum mortuum et se ipsum suscitavit occisum.

2525 Posteaquam Dominus quatuordecim mortuum suscitavit, stupentibus Iudaeis, et aliis eorum videndo credentibus, aliis invidendo pereuntibus, propter odorem bonum, qui est aliis ad vitam, aliis ad mortem (II COR. II, 15); posteaquam discubuit in domo cum recubente Lazaro, qui fuerat mortuus suscitatus, post unguentum effusum super pedes eius, unde domus odore completa est; posteaquam vanam saevitiam et stultissimum et demeritissimum scelus Iudaei etiam de occidendo Lazaro corde perditio conceperunt; de quibus omnibus ut potuimus, quod Dominus dedit, superioribus sermonibus locuti sumus; nunc intendat Charitas vestra, ante Domini passionem quantus fructus apparuerit praedicationis eius, et quantus grex ovium ex his quae perierant domus Israel, vocem pastoris audierit.

2526 Sic enim loquitur Evangelium, quod modo cum recitaretur, audistis: *In crastinum autem turba multa quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit*

Iesus Ierosolymam, acceperunt ramos palmarum et processerunt obviam ei et clamabant Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam: quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, et tropaeo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est, *Hosanna*, sicut nonnulli dicunt, qui hebraeam linguam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans: sicut sunt in lingua latina quas interiectiones vocant, velut cum dolentes dicimus *Heu*; vel cum delectamur, *Vah!* dicimus; vel cum miramur, dicimus, *O rem magnam!* tunc enim *O*, nihil significat nisi mirantis affectum. Quod ideo credendum est ita esse, quia neque Graecus, neque Latinus hoc interpretari potuit: sicut illud: *Qui dixerit fratri suo, Racha* (MATTH. V, 22). Nam et haec interiectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens.

Benedictus autem qui venit in nomine Domini, Rex Israel, sic potius accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur: quamvis possit intelligi etiam in nomine suo, quia et ipse Dominus est. Unde et alibi scriptum est: *Pluit Dominus a Domino* (GEN. XIX, 24). Sed verba eius melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait: *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: alius venit in nomine suo, hunc suscipietis* (IOANN. V, 43). Humilitatis enim magister est Christus, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. (PHILIPP. II, 8). Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem: in illa est Patri aequalis, in hac nobis similis: per quod Patri est aequalis, nos ut essemus creavit; per quod nobis est similis, ne periremus redemit.

Has ei laudes turba dicebat: *Hosanna*.

na, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel. Quam crucem mentis invidentia principum Iudaeorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem esse Israel? Quid magnum fuit regi saeculorum regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed rex Israel, quod mentes regat, quod in aeternum consulat, quod in regnum coelorum credentes, sperantes, amantesque perducatur. Dei ergo Filius aequalis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Qui enim appellatus est in terra rex Iudaeorum, in coelis est Dominus angelorum.

²⁵²⁹ *Et invenit Iesus asellum, et sedit super eum.* Hic breviter dictum est: nam quem admodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur. (MATTH. XXI, 1-16; MARC. XI, 1-11, et LUC. XIX, 29-48). Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret, quod maligni principes Iudaeorum eum non intelligebant, in quo implebantur quae legebant. Invenit ergo Iesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est: *Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedens super pulvum asinae* (ZACH. IX, 9). In illo ergo populo erat filia Sion: ipsa est Ierusalem quae Sion. In illo, inquam, populo reprobo et caeco, erat tamen filia Sion, cui diceretur: *Noli timere, ecce rex tuus venit sedens super pulvum asinae.* Haec filia Sion, cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus, quae vocem pastoris audiebant: in illa erat multitudo, quae Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Ei dictum est: *Noli timere*; illum agnosce qui a te laudatur,

et noli trepidare cum patitur; quia ille sanguis funditur, per quem tuum delictum deleatur et vita reddatur. Sed pulvum asinae, in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenitur), intelligimus populum Gentium, qui legem Domini non acceperat. Asinam vero (quia utrumque iumentum Domino adductum est) plebem eius, quae veniebat ex populo Israel, non indomitam plane, sed quae praesepe Domini agnovit.

Haec non cognoverunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus (IOANN. XII, 16), id est, quando virtutem suae resurrectionis ostendit: *Tunc recordati sunt, quia haec scripta erant de eo, et haec fecerunt ei*, id est, non alia fecerunt ei, quam illa quae erant scripta de eo. Recolentes quippe secundum Scripturam, quae ante passionem Domini vel in passione Domini completa sunt, ibi et hoc invenerunt, quod secundum eloquia prophetarum in pullo asinae sederit.

Testimonium ergo perhibebat turba quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit (IOANN. XII, 17 ss.). Turba turbavit turbam. Quid autem invides caeca turba, quia post eum abiit mundus, per quem factus est mundus?

Erant autem gentiles quidam ex iis, qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, et dicit Andreae; Andreas rursus et Philippus dicunt Iesu (Ibid. 20 ss.). Audiamus quid Dominus ad ista responderit. Ecce volunt eum Iudaei occidere, gentiles videre: sed etiam illi ex

Iudaeis erant qui clamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Ecce illi ex circumcisione, illi ex praepotio, velut parietes duo de diverso venientes et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes: audiamus ergo vocem lapidis angularis. *Iesus autem, inquit, respondit eis dicens: Venit hora, ut glorificetur Filius hominis.* Hic quisquam forsitan putat ideo se dixisse glorificationem, quia Gentiles eum volebant videre. Non ita est. Sed videbat ipsos Gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros; quia sicut dicit Apostolus: *Caecitas ex parte in Israel facta est donec plenitudo gentium intraret* (ROM. XI, 25). Ex occasione igitur istorum Gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem gentium; et promittit iam iamque adesse horam glorificationis suae, qua facta in coelis, gentes fuerant crediturae. Unde praedictum est: *Exaltare super coelos Deus, et super omnem terram gloria tua* (PSAL. CVII, 6). Haec est Gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus: *Caecitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret.*

²⁵³³ Sed altitudinem glorificationis oportuit ut praecederet humilitas passionis; ideo secutus adiunxit: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (IOANN. XII, 24). Se autem dicebat. Ipsum erat granum mortificandum et multiplicandum: mortificandum infidelitate Iudaeorum, multiplicandum fide populorum.

²⁵³⁴ Iamvero exhortans ad passionis suae sectanda vestigia: *Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam* (Ibid. 25). Quod duobus modis intelligi potest: *Qui amat, perdet*, id est: Si amas, perde; si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo:

Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur evangelicus sensus; sequitur enim: *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodiet eam.* Ergo quod supra dictum est: *Qui amat*, subintelligitur, in hoc mundo; ipse utique perdet: *qui autem odit*, utique in hoc mundo; in vitam aeternam ipse custodiet. Magna et mira sententia, quem admodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat! Si male amaveris, tunc odisti; si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdat amando. Sed vide ne tibi subrepat ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi, et in se ipsis crudeliores et sceleratiores homicidae, flammis se donant, aquis praefocant, praecipitio collidunt, et percutunt. Hoc Christus non docuit, imo etiam diabolo praecipitium suggerenti respondit: *Redi retro, satanas; scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum* (MATTH. IV, 7). Petro autem dixit, significans qua morte glorificaturus erat Deum: *Cum esses iunior, cingebas te, et ibas quo volebas: cum autem senueris, alter te cinget, et feres quo tu non vis* (IOANN. XXI, 18). Ubi satis expressit, non a se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Cum ergo causae articulus venerit, ut haec conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei praecipitium, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere; ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam aeternam custodiat eam.

2533 *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (Ib. XII, 26). Quid est, *me sequatur*; nisi, me imitetur? *Christus enim pro nobis passus est*, ait apostolus Petrus, *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius* (I PETR. II, 21). Ecce quod dictum est: *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Quo fructu? qua mercede? quo praemio? *et ubi sum*, inquit, *ego, illic et minister meus erit*. Gratis ametur, ut operis quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo? Audi evidentiis. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Quo honore, nisi ut sit cum Filio eius? Quod enim superius ait: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*, hoc intelligitur exposuisse cum dicit: *honorificabit eum Pater meus*. Nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est Unicus, non aequalis factus divinitati, sed consociatus aeternitati?

2536 Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potius debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quae sunt corpori necessaria praeparare, aut coenanti cibum coquere vel apponere, vel poculum dare potumque miscere: fecerunt hoc illi, qui potuerunt eum in corpore habere praesentem, sicut Martha et Maria, quando et Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam ludas perditus ministravit, nam et loculos ipse habebat: et quamvis ex eis quae mittebantur sceleratissime furaretur, per illum tamen etiam necessaria parabantur. Hinc est illud quod cum ei diceret Dominus: *Quod facis, fac celeriter* (IOANN. XII, 27), arbitrati sunt quidam, quod eum iusserit propter diem festum necessaria praeparare, vel indigentibus aliquid dare. Nullo modo igitur de huiusmodi ministris

diceret Dominus: *Ubi sum ego, ibi erit et minister meus*: et, *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: quoniam ludam talia ministrantem, reprobatum potius quam honoratum videmus. Ut quid ergo alibi quaerimus, quid sit ministrare Christo, et non potius in istis ipsis verbis agnoscimus? Cum enim dixit: *Si quis mihi ministrat, me sequatur*; hoc intelligi voluit, ac si diceret: Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Iesu Christo, qui non sua quaerunt, sed quae Iesu Christi. Hoc est enim, *me sequatur*, vias ambulet meas, non suas; sicut alibi scriptum est: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulavit ille, et ipse ambulare* (I IOANN. II, 6). Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de iactantia; non aliquid ibi quaerere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextera, id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; recteque illi dicitur: *Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti* (MATTH. XXV, 40). Nec tantum ea quae ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia bona opera propter Christum faciens (tunc erunt enim bona, quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti (ROM. X, 4), minister est Christi usque ad illud opus magnae charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim et pro Christo ponere. Quia et hoc propter sua membra dicturus est: Cum pro istis feceris, pro me fecisti. De tali quippe opere etiam se ministrum facere et appellare dignatus est, ubi ait: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam ponere pro multis*. (MATTH. XX, 28). Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister et Christus. Sic ministrantem

Christo honorificabit Pater eius, honore illo magno, ut sit cum Filio eius, nec unquam deficiat felicitas eius.

2537 Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*; nolite tantummodo bonos episcopos et clericos cogitare. Etiam vos pro modo vestro ministrare Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinaeque eius quibus poteritis praedicando: ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere. Pro Christo et pro vita aeterna, suos omnes admonet, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo ut in aeternum sit cum ipso. Nam et illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non episcopi neque clerici, iuvenes et virgines, seniores cum iunioribus, multi coniugati et coniugatae, multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in eius martyrio posuerunt, et honorifice Patre coronas gloriosissimas receperunt.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SESENSI, VOL. II, SERM. 56).

2538 TERTIUS et ultimus fructus crucis Christi dicitur pulchritudo; quia plenum est universum gratia, et gloria crucis Christi: unde Dan. finaliter subdit: *Et ex ea vescebatur omnis caro* sive coelestis, sive terrestri, necnon et quodammodo infernalis, in his, qui erant ibi electi. Et de hoc ad Ephes. III Apostolus ait: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum*, scilicet, sanctissimae crucis Christi, ut in mysterio indicet quod in cruce est. Primo latitudo charitatis; secundo longitudo aeternitatis; tertio altitudo supernae civitatis; quarto profundum infernalis captivitatis.

2539 Primo est latitudo charitatis. Contemplare, anima mea, quod alta providentia Dei in consummatione

mysterii nostrae redemptionis, non omne genus mortis elegit; unde nec voluit irregulari cum innocentibus per crudelitatem Herodis, sicut dicitur Matth. II; nec praecipitari sustinuit a suis compatriotis, scilicet, Nazarenis, ut dicitur Luc. IV; nec lapidibus obrui ab impiis Phariseis, et Scribis, sicut dicitur Ioann. VIII; sed mortem crucis assumpsit, quae est tamquam vexillum victoriae, et tamquam signatura perfectionis, et gratiae in totam rationalem naturam diffusae et diffundendae.

2540 Porro talis modus expansionis in cruce convenientissimus est etiam in figura ad omnia impetranda a pietate paterna, ad omnia diffundenda in electos charitate largitua, ad omnia ad se trahenda virtute mirifica, ad omnia amplectenda remissione plenaria. Quapropter in cruce totus calescens amorosus Iesus, more solaris radii, ad se trahit humores devoti cordis, in pluvias dissolvendas compassivi, atque transformativi ploratus suae sanctissimae Passionis, et mortis. Ipse quoque moriendi modus, videlicet, extensionis in cruce, praetendit figuram virtuosae balistae, quae quidem respectu accipitis potest telum iaculare, et terram, ut per ipsam aeternus Pater, quasi per arcum inestimabilis charitatis Filium suum pro nobis crucifixum et mortuum, intra intima cordis nostri ad nostram emolliendam duritiam perforando transfigat. Sed tu, anima mea, constituta in terra, versa vice pectus potes iaculare paternum, si dilectissimum Filium pro sui honoris defensione sic crudeliter laceratum, et mortuum, quasi sagittam electam in eum, ipso arcu affectuosae amoris crucis extento, pronicias, quo iam tibi remissionis beneficium negare non possit.

2541 Secundo est in cruce longitudo aeternitatis. Nam sicut patet ex dictis in primo articulo tertiae part. II, Deus ab aeterno ordinavit rationalem naturam glorificari per meritum crucis Christi, sicut ibi declaratum est, quod quidem meritum durat usque ad praesentis saeculi finem. Haec est longitudo Dominicae crucis; unde non immerito dici potest, quod longitudo illius extendatur ab aeterno usque in aeternum super timentes eum in tota rationali natura, postquam ab aeterno ordinata est esse meritum omnium salvandorum, cuius meriti, atque praemii non erit finis: unde de illa Sapient. VII, dicitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter*, scilicet, per gratiam, et disponi omnium sanctorum, per gloriam.

2542 Tertio insuper in cruce est altitudo supernae civitatis. Nam per crucem Christi tota rationalis natura, id est, omnes in coelo glorificati, et glorificandi tam Angeli, quam homines, per meritum crucis Christi, gratiam, et gloriam consecuti sunt, sicut praedictum est, ac natura Angelica in An-

gelis reprobis diminuta per eandem crucis virtutem restaurata est; unde Origen. super epistolam ad Roman. v ait: Tanta est vis crucis, et mortis Christi, quod ad sanitatem, et remedium, non solum praesens, et futuri, sed etiam praeteritorum saeculorum; et non solum humano huic nostro ordini, sed etiam coelestibus virtutibus sufficiat.

2543 Quarto etiam est in cruce profundum infernalis captivitatis; quia per virtutem eius Sancti Patres de limbo liberati, et glorificati sunt, sicut supra in fine quarti fructus patet. Tunc verus Sampson, moriens, victoriam de suis hostibus reportavit (Ironic. xvi). Tunc habitantibus in regione umbrarum mortis diu expectata claritas crucis effulsit, et in eius virtute per gloriam Christi animam visionem gloriae susceperunt. Nam, secundum Alexand. de Ales in 3, licet Sanctis illis per circumcissionem deleteret culpa originalis, et per charitatem culpa actualis, et quantum ad maculam, et quantum ad divinam offensam, necnon quantum ad reatum gehennae; non tamen quantum ad reatum carentiae visionis divinae, ratione cuius habebat diabolus potestatem detinuit eos in limbo, de quo misericorditer a Christo per meritum crucis suae liberati sunt, sicut Zach. ix ad Dominum dictum est: *In quoque in sanguine testamenti eduxisti victos de lacu, in quo non erat aqua*, scilicet, gloriae sempiternae; quia per passionem duo meruit Christus. Primo satisfactionem; secundo ianuam coelestis apertionem; ideo descendens ad inferos haec duo implevit. Nam primo crucis satisfactione soluta sunt vincula illa captivitatis inferni; secundo per ianuam coelestis apertionem facta est visio gloriae sempiternae, atque illustratio illius carceris, et secundum lucem exteriorem.

2544 Merito ergo de his quatuor dimensionibus crucis devotus Bernardus ad sanctissimam crucem ait: Quis misericordiae tuae, crux benedicta, queat digne investigare latitudinem, longitudinem, sublimitatem, et profunditatem? Nam latitudo tua replet orbem terrarum, longitudo tua usque ad diem novissimum subvenit universis invocantibus eam, sublimitas tua supernae civitatis invenit restaurationem, profundum tuum sedentibus in tenebris, et umbra mortis obtinuit redemptionem. Haec ille.

2545 Levenus itaque ergo corporis, atque mentis oculos ad triumphale vexillum crucis; nam secundum Origen. super epistolam ad Roman. iv, tanta est vis crucis, ut si ante oculos ponatur, et in mente fideliter habeatur, ita ut ipsam mortem Christi mentis oculus aspiciat, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare potest invidia; sed continuo ad eius praesentiam totus ille peccati, et carnis fugatur exercitus. Et iterum Cassiodorus super Psalmistam inquit: Crux est

humilium invitatio, superbiorum delectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, coelestium confirmatio, mors infidelium, vita Christianorum, iustorum martyrum resurrectio, Doctorum dux, conversorum via certa, claudorum baculus, pauperum consolatio. Et etiam Rabanus de laude crucis inquit: Tu, sancta crux, es peccatorum remissio, peccati exhibitio, meritorum augmentum, infernorum remedium, lapsorum refrigerium, sanorum incoluntias, quietorum serenitas, et fortanatorum foelicitas.

O summa dulcedo divinae bonitatis, et benignitatis! O immensa charitas divinae largitatis! O inquam stupenda prodigalitas summi Dei, et Domini nostri Iesu Christi! qui secundum Bernard. carnem suam dedit in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, vulnera in remedium, brachia in refrigerium, crucem in clypeum, cor in amoris iudicium, atque in balneum, sudorem in medicamentum, clavos in balsamentum, spineam coronam in ornamentum, verba in documentum, vitam et mortem, utramque in exemplum, scilicet, crucifixo perfectionis, ut in virtutum cruce, sic affixum cor nostrum, in sensu crucis delectetur, et impinguetur affectio, et delectatio nostra, in cruce exaltet spes, et expectatio nostra; ut totum cor, omne os, et totum opus illi amoroso Iesu cruciformiter conformetur, qui pro nostra redemptione ex sola sua stupenda charitate mori dignatus est; sed nunc triumphator mortis, cum Patre, et Spiritu sancto gloriosus super omnia vivit, et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

DOMINICA IN PALMIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XXI, 1-9.

In illo tempore: Cum appropinquasset Iesus Ierosolymis, et venisset Bethplage ad montem Oliveti: tunc misit duos discipulos suos,

2. dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi:

3. et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos.

4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem:

5. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum, filium subiegalis.

6. Euntis autem discipuli fecerunt sicut praecipit illis Iesus.

7. Et adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem cedebant ramos de arboribus, et sternebant in via:

9. turbas autem, quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSIT. IN ECC. CAP. XXIV.

2547 **P**ULCHRE relictis Iudaeis, habitaturus in affectibus gentium, templum Dominus ascendit; hoc enim templum est verum, in quo non in littera, sed in spiritu Dominus adoratur: hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundavit. Deseruntur ergo qui oderant, eliguntur qui amaturi erant.

2548 Et ideo ad montem venit Oliveti, ut novellas oleas in sublimi virtute plantaret, quorum mater est illa quae sursum est Ierusalem. In hoc monte est ille coelestis agricola, ut plantati omnes in Domo Dei, possint viritum dicere: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (PSAL. LI, 10). Et fortasse ipse mons Christus est. Quis enim alius tales fructus ferret olivarum, non curvalescentium ubertate baccarum, sed spiritus plenitudine gentium foecundarum? Ipse est per quem ascendimus, et ad quem ascendimus. Ipse est ianuam, ipse est via, qui aperitur, et qui aperit, qui pulsatur ab ingredientibus, et ab emeritis adoratur.

2549 Ergo in castello erat, et ligatus erat pullus cum asina: non poterat solvi, nisi iussu Domini: solvit cum manus apostolica: talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, ut et tu possis ligatus solvere.

2550 Nunc consideremus qui fuerint illi, qui, errore detecto, de paradiso eieci, in castello sunt religati. Et vides quem admodum quos mors expulerat, vita revocaverit. Et ideo secundum Matthaeum et asinam et pullum legimus (MATTH.

XXI, 2); ut quia in duobus hominibus uterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus uterque revocetur. Ergo illic in asina matre quasi Evam figuravit erroris: hic autem in pullo generalitatem populi gentilis expressit; et ideo in pullo sedetur asinae.

2551 Et bene: *In quo nemo sedit*: quia nullus antequam Christus nationum populos vocavit ad Ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes: *Quem nemo adhuc sedit hominum* (MARC. XI, 2). Alligatus autem perfidiae vinculis tenebatur, iniquo addictus domino, errore famulatus: sed dominatum sibi vindicare non poterat, quem reum fecerat non natura, sed culpa. Et ideo cum Dominus dicitur, unus agnoscitur; nam et multi dii, et multi domini, sed generaliter: nobis tamen unus Deus, et unus Dominus. Itaque etsi non exprimitur, Dominus definitur non iam per adiunctionem personae, sed per universitatem naturae.

2552 Marcus autem induxit ligatum ante ianuam (MARC. XI, 4); quia extra Christum quicumque est, foris est in via: qui autem in Christo est, foris non est. *In transitu*, addidit, ubi nullius certa possessio, non praesepe, non alimenta, non stabulum. Misera servitus cui vagum ius est; plures enim dominos habet, qui unum non habet. Alieni alligant, ut possideant: iste solvit, ut teneat; vehementiora enim dona novit esse, quam vincula.

2553 Nec illud otiosum quod duo discipuli diriguntur, Petrus ad Cornelium (ACT. X, 23), Paulus ad reliquos (ACT. XII, 3). Et ideo non personas designavit, sed numerum definit; tamen si quis est qui personas exigit, potest aestimare de Philippo quem Spiritus misit in Gazam (ACT. VIII, 26), quando Candacis reginae baptizavit eunuchum, et ab Azoto